



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1712

Q. 306. Quid excuset ab hoc præcepto confessionis annuæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42433

set alicui non habenti potestatem absolvendi à mortalibus , fatentur Lugo n. 168. Avers. supra, Dicast. n. 137. teneri intra istum annum sua mortalia confiteri habenti potestatem, quia Ecclesia præcipit confiteri sua mortalia proprio Sacerdoti, id est, habenti potestatem in mortalia , quam non habuisset ille prior Sacerdos.

2049. §. 8. Si quis post confessionem mortalium, quæ eousque fecerat, eo anno incidat in novum mortale , Sol. Med. Suar. Henr. & alii cum Avers. dicunt esse obligationem iterum confitendi , quia necdum est confessus omnia mortalia eo anno commissa , sed probabilius negant Vici. Con. Regin. Laym. Beccan. Hurt. Dian. Arr. Castrop. n. 3. Dicast. n. 133. Bosco n. 115. Gorm. n. 28. quia tantum præcipitur una confessio omnium mortalium tum memorie occurrentium , quæ facta est : & hanc sententiam certam esse dicit Lugo n. 164. alias fieri posset , ut quis decies veneretur confiteri, si statim conficeret commissum , & roties relaberetur.

2050. Q. 306. Quid excusat ab hoc precepto confessionis annuae. R. §. 1. Excusat impotentia physica & moralis , & modo , quo à n. 1140. dictum est similes impotentias excusare à precepto confessionis materialiter integræ , item sicutil. 6. p. 1. n. 511. & à n. 533. dictum est similes impotentias excusare à precepto confessionis ante Communionem.

2051. §. 2. Dixi n. 1190. eum , qui confiteri non potest nisi per interpretem , non teneri precepto confessionis annuae : attamen videri esse obligationem sic confitendi in articulo mortis. Addidi n. 1194. Si quis confiteri non possit nisi ex scripto , ad hoc teneri , si non sit morale periculum manifestationis. §. 3.

§. 3. Qui non potest confiteri , non ideo vi 2052.
hujus præcepti tenetur illo anno conteri , quia
neque lex naturalis neque divina neque huma-
na præcipit contritionem omni determinatè
anno sed confessionem , Cón. d. 3. n. 22. Nec ob-
stat , quod contritio sit pars confessionis , qui
autem non potest totum , tenetur ad partem ,
quam potest , nam præterquam quod contritio
non sit pars necessaria confessionis , cùm attri-
tio sufficiat , adhuc tamen axioma illud tantum
valer , quando totum constat partibus ejusdem
rationis , ita ut ponendo partem attingat hoc ,
quod est totum secundum substantiam , v. g.
qui vovit 8. diebus jejunare , si non possit 8. sed
possit . 4. tenetur ad 4. , quia semper pones sub-
stantiam jejunii , quod est res ex voto debita . E
contrà si totum non constet partibus ejusdem
rationis , non ideo tenetur ad partem , hinc qui
vovit statum religiosum , si non possit servare
castitatem , non ideo tenetur ad paupertatem &
obedientiam , quia per hoc non habebit sub-
stantiam statutus religiosi , qui erat res ex voto
debita .

Q. 307. *Quas poenas incurrat non confitens se-* 2053.
mel in anno. R. Incurrit poenam , ut vivus ar-
ceatur ab ingressu ecclesiæ , mortuus autem ca-
reat ecclesiasticâ sepulturâ , uti habetur in cap.
Omnis utriusque sexus , De poen. & remiss. Neque
requiritur , ut neglexerit utrumque præceptum ,
confessionis & Communionis , sed satis est , si
non impleverit utrumque , sive si alterutrum
neglexerit , uti cum communi Suar. d. 36. f. 5.
Hæ tamen poenæ non incuruntur ipso facto ,
sed sunt ferendæ per Superiorem ecclæsti-
cum sententiaz.

Q. 308.